DE THYMO. CAP. CCCXIX.

C

NOMINA.

Serpyllum Romanum.

Thymus unde dictus.

ΘΥΜΟΣ Græcis, Thymus Latinis, herbarijs uulgaribus Serpyllũ Romanum, hauddubiè ab odore quem cum Serpyllo cõmunem habet, dicitur. Officinæ antiquum nomen retinuerunt. Germanis Thym / & Römiſcher quendel uocatur. Thymus autem Græcis ab excitando, quod θύειν dicunt, nomen inuenit. Nonnullis potius hoc placet etymum, ut Thymos quaſi thyæmos, hoc eſt, ſanguinem impellens dicatur.

FORMA.

Thymus ſurculoſus frutex eſt, minutis multis & anguſtis folijs circundatus, in ſummo capitula floribus purpureis referta habens. Ex qua ſanè deliniatione omni busconſpicuũ fit, herbam cuius picturam damus eſſe Thymum. Dodrantalis enim & ſurculoſus frutex eſt, folijs exiguis, floſculis ex purpura candicantibus, ſuauiſſimi odoris, capitella ſpecie complicatarũ formicarum, radice lignoſa, enaſcentias uirides multas obtinente, quibus in terra radicatur.

LOCVS.

Naſcitur petroſis & tenuibus locis: neque enim locum pinguem, necꝫ ſtercoratum, ſed apricum deſiderat. Nunc in hortis multis Germaniæ prouenit.

TEMPVS.

Floret ſerò, quod Theophraſtus etiam libro ſexto de hiſtoria plantarũ, capite ſecundo teſtatur, circa Solſtitia, cum & apes decerpunt, & auguriũ mellis eſt.

TEMPERAMENTVM.

Thymus uehementer calefacit, Itaque in calefaciendo & exiccando in tertio ordine ſtatuendus eſt.

D

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Potus cum ſale & aceto, pituitã per aluum ducit. Decoctũ eius cum melle orthopnoicis & aſthmaticis prodeſt. Lumbricos uentris, menſes, fœtus & ſecundas pellit. Vrinam ciet. Mixtus melle in eclegmate, excreabilia efficit thoracis uitia. Recentia œdemata cum aceto illitus diſcutit. Sanguinis grumos diſſoluit. Thymos & uerrucas penſiles tollit. Iſchiadicis cum uino & polenta impoſitus auxiliatur. Hebetibus oculis in cibo ſumptus opitulatur. Vtilis etiã pro condimento in ſanitatis uſu.

EX GALENO.

Thymus incîdit, & calefacit manifeſtè: ob id & urinã & menſes prouocat, fœtum euellit, & uiſcera potus expurgat, educendis ex thorace & pulmone confert.

EX AETIO.

Hæc experimentis de Thymo comperta ſunt. Dato ieiunis articulari morbo laborantibus, Thymi aridi minutiſsimi drachmas quatuor cum oxymelitis cyatho. Bilem enim reliquoſq; humores atq; acrem ſaniem euacuat. Facit & ad ueſicæ mala. Ventre inflatis, ubi intumeſcere cœperint, drachmã unam dato ieiuno cum cochleari aquæ mulſæ. Ad lumborũ coxendicumq; dolorem, lateriſq; & thoracis, ac hypochondriorũ ſuſpenſiones, ac inflationes, pondere trium drachmarũ cum oxymelite temperato, menſura cochlearij ieiuno exhibeto. Similiter etiam & melancholicis, & mente turbatis, timoreq; detentis drachmas tres cum oxymelitis temperati cochleari præbeto. Dato item ieiunis & ante cœnam aduerſus lippitudinẽ, & uehementem oculorum dolorẽ. Præterea contra podagram, etiam quæ motum omninò interceperit, cum uino utiliſsimè propinatur. Poſtremò ad tumefactos teſtes, ieiunis trium drachmarum pondere exhibeatur.

EX PLINIO.

Oculorũ claritati multum conferre exiſtimatur, & in cibo, & in medicamentis. Item diutinæ tuſsi ecligmate faciles excreationes facere cum aceto & ſale. Sanguinẽ concreſcere non patitur è melle. Longas faucium deſtillationes extrà illita cum Sinapi,

THYMVS